Et gaudium sine magnitudine de bonitate dei magnum
Magnitudo gaudii istorum puerorum
Excellit magnitudinem gaudiorum omnium mundanorum
Gaudent de hoc quod creatorem suum peccando non offenderunt
Et quod de inferno dampnatorum securi erunt
Quid autem de illis deus facturus sit nullus potest scire
Nec aliquis doctor sufficit diffinire
Super hunc locum est infernus purgandorum
Et in illo est diversitas penarum et dolorum multorum
Nam secundum peccatorum quantitatem et qualitatem
Recipit quilibet purgatorium et penalitatem
Pena istorum potest mittigari per celebrationem missarum
Per orationes et ieiunia et collationes elemosinarum
Per indulgencias a ecclesia acceptam
Et per alicuius pene assumptionem
Pena purgatorii non potest verbis explanari
Quia nulla pena in mundo potest illi comparari
Sicut ignis verus differt ab illo qui solet depingi
Sic differt ignis purgatorii ab igne materiali
Super hunc locum infernus sanctorum esse comprobatur
Qui sinus abrahe vel limbus appellatur
sinus Hunc infernum olim omnes sancti intraverunt
Qui ante resurrectionem christi mortui fuerunt
Ad istum infernum christus descendit et intravit
Et omnes qui tum christo erant potenter liberavit
In isto inferno anima christi ab hora sue expirationis
Usque ad horam sue gloriose resurrectionis
Sciendum autem quod licet anima fuerit a corpore separata
Tamen deitas nec ab anima nec a corpore fuit segregata
In lymbo fuit deitas unita anime separate a corpore
In sepulchro erat deitas unita carni mortificate
Quando christus lymbum intravit sancti unanimiter viderunt
Et omne gaudium celi statim ibidem habuerunt
Dicitur enim ubi est papa ibi est romana curia
Sic ubi erat deitas ibi erant celi gaudia
Dixerat christus latroni cum ad hunc penderet patibulo

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0156
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg